

D. A. G.

MELETEMA PHILOSOPHICUM

De

**PRUDENTIA  
PHILOSOPHAN-  
TIUM**

Qvod

*Suffragante Ampliff. Fac. Philos. in Reg. academo. Aboënsi,*

Sub MODERAMINE

VIRI CL.

**DN. ALGOTHI A.  
SCARIN,**

Hist. & phil. civ. prof. reg. & ord.  
Pro GRADU

*publico examini modeste submitto*

STIPENDIARIUS REGIUS

JOHANNES FROSTERUS

*Ostro-Botn.*

die 19 Decembr. Anno MDCCXLIV.  
loco horisque solitis.

---

ABOÆ, Excud. Joh. Kizampe, R. A. Typ.






MAGISTRI PHILIPPO  
PRUDENTIA  
PHILOSOPHAN-  
TIUM

1711  
1712  
1713  
1714  
1715  
1716  
1717  
1718  
1719  
1720  
1721  
1722  
1723  
1724  
1725  
1726  
1727  
1728  
1729  
1730  
1731  
1732  
1733  
1734  
1735  
1736  
1737  
1738  
1739  
1740  
1741  
1742  
1743  
1744  
1745  
1746  
1747  
1748  
1749  
1750  
1751  
1752  
1753  
1754  
1755  
1756  
1757  
1758  
1759  
1760  
1761  
1762  
1763  
1764  
1765  
1766  
1767  
1768  
1769  
1770  
1771  
1772  
1773  
1774  
1775  
1776  
1777  
1778  
1779  
1780  
1781  
1782  
1783  
1784  
1785  
1786  
1787  
1788  
1789  
1790  
1791  
1792  
1793  
1794  
1795  
1796  
1797  
1798  
1799  
1800

ALGOTTI  
SCARIN  
JOHANNES  
MDCCLXII

1762  
1763  
1764  
1765  
1766  
1767  
1768  
1769  
1770  
1771  
1772  
1773  
1774  
1775  
1776  
1777  
1778  
1779  
1780  
1781  
1782  
1783  
1784  
1785  
1786  
1787  
1788  
1789  
1790  
1791  
1792  
1793  
1794  
1795  
1796  
1797  
1798  
1799  
1800



§. I.

*Ostenditur necessitas prudentia philo-  
sophantium.*

**Q**uam ardua & salebrosa sit via ad solidam & utilem scientiam rerum, quæ existunt, quarumlibet, præsertim naturalium ostendunt errores frequentes, qui in veri inquisitione committuntur; testantur quoque lentæ in illo studio progressionis; quantumvis strenui naturæ scrutatores, per tot secula, omnes ingenii sui vires, ut ad scopum, quem sibi præfixere, pervenirent, intenderint. Imo difficilis sit, necesse est, hæc via, cum res creatæ infinita sapientia sint conditæ, non ster vero intellectus. non tantum finitus sit, sed etiam vires ejus primitivæ ad assequendum fines naturales redditæ ineptæ, ad errores autem amplectendos maxime proclives. Ex quo apparet, maxima cum prudentia in scientiis esse versandum,

A



dum; de qua pauca ingenii exercendi causa commentari constituimus. Ut igitur innoxis nostris conatibus. Candide Lector, æquo iudicio faveas, est quod reverenter & officiose rogamus.

§. II.

*De necessaria intellectus emendatione.*

Qui animum ad philosophandum appellit, in ipso limine huius studii sollicitus esse debet de intellectus & voluntatis emendatione. eorumque culturam deinde per omnem cursum philosophicum arte conjungere oportet. Quod intellectum præcipue attinet, non opus est, ut multis assertum nostrum demonstramus, cum veritas eius facile cuivis pateat. Neque nostrum nunc est inculcare regulas emendandi intellectum & eius vires, cum de his in *Logicâ* pariterque *Morali* disciplina agi soleat. Sed hoc tantummodo, tanquam generalem observationem addimus: Quod qui prudenter in utroque genere versari velit, debeat esse bene instructus distincta cognitione regularum logicarum & habitu gaudere eas rite applicandi; Neque enim dubitamus, quin multi viri insignes non paucos errores evitassent, si distinctam habuissent cognitionem harum regularum. Regulæ autem omnes erunt quam maxime accommodatæ animæ naturæ, & indoli & ex ea derivatæ, si aliâ earum aliquis erit usus in praxi.

§. III.

§. III.

*De necessaria Voluntatis emendatione.*

Quam necessaria autem philosopho est rationis cultura, tam necessaria quoque censenda est emendatio voluntatis, affectuumque justum regimen atque temperamentum, quæ si omittatur cura, non potest non philosophus in officio suo turpiter hallucinari. Ex affectuum enim prædominio intellectus sæpissime præoccupatur & impeditur, ne veritatem assequi possit; sæpe voluptatibus, tædio laboris & meditationis, *Φιλανθία*, nimio amore & æstimatione aliorum, fastu & æmulatione in transversum abripimur: errores non solum adoptamus, sed etiam correctionis impatientes eosdem mordicus tenemus defendimusque; hinc pueriles & sæpe impiæ contentiones, cavillationes & hostiles persecutiones existunt. Infestissimi quoque errores, ut atheismus, naturalismus, scepticismus & qui reliqui sunt horrendi scopuli philosophantium, maxima ex parte voluntatis vitiis primam originem debent. Frequens est; philosophia intricatis & spinosis quæstionibus; multa quoque impia exstant scripta, per quæ facile seduci possunt mortales, præsertim qui imbecilliores animo sunt, quorum vitiosa natura per se libenter amplectitur ea, quæ vitiis ejus aliquo modo faveant eaque palliare videri possint. Propterea in principio huius stadii illud quam maxime studendum, ut animus in vera virtute confirmetur, & inflammetur puro veritatis amore



4  
more; ut affectus temperentur, & sic excludantur præjudicia & antiquitatis & novitatis, auctoritatis & nimiae confidentiae, quibus vitiis exclusis & quasi in prima herba suffocatis, brevis & magis expeditus datur labor, erit & ex consuetudine incrementum philosophiae propemodum sine negotio: Cum primis studendum, ut humilitas & modestia altas agant radices in animo; humilitas nempe erga Deum & doctrinam caelestem, alias enim quædrabit in nos illud quod apostolus Paulus prædicat de gentium philosophis: *ὁσίωντες εἶναι τοῦ θεοῦ, κἀὐτοῦ ἐξομῶντες*. Humilitas ita erit infixæ animis ut semper retineamus vivam reminiscentiæ tenuitatis nostræ. Multi, inquit Seneca, ad scientiam pervenissent, nisi se jam pervenisse existimarent, vix enim dici potest, quantum cladem adferat scientiis fastus & vana sui præsumptio; legnitiam certe & contemptum veritatum ab aliis anxie quæsitæ prolatarumque parit, imo multorum fabulosissimorum commentorum mater est, ad quæ confugiunt nonnulli cum ignorantiam prodere nolunt, sed supra alios doctrinæ laude eminere cupiunt.

#### §. IV.

*Eandem ulterius commendat.*

SI, prout dictum modo fuit, intellectus & voluntatis emendationem arte conjungimus, non solummodo evitamus multos errores, in quos per affectuam turbinem conjicimur, sed evadit ad illum

illum modum conformata cognitio nostra philosophica, genuina etiam, & splendorem, quem intendit consequitur nativum. Per philosophiam enim, quæ studium sapientiæ importat, intendi debet, & quantum fieri potest, promoveri ejusmodi scientia, quæ in relatione ad legem, nosmet bonos reddit. in convictu aliorum hominum quod ad vitam, moratos sociales, itemque tranquillos & hilares; quod ad affectus, compositæ mentis, & denique prudentes in actionibus peragendis, verbo, quæ ad promovendum nostrum & aliorum commodum instruere & conformare poterit. Quod si vero scientia nostra philosophica ad talem perfectionem non ascenderit, manca adhuc est & jejuna. Quamobrem dolendum quam maxime illud est, quod, licet Deus gemino nosmet lumine instruxerit, revelationis nempe & rationis, ut eorum significatione ductuque ad veram virtutem duceremur, accidat satis sæpe tamen, ut tam doctrina caelestis, quam potissimum rationis, apud plerosque in nuda & otiosa cognitione sine affectu subsistat, cum plurimi de gloria & pane lucrands philosophentur, non respicientes ad finem hujus studii primum & ultimum, ex quo pretium suum & splendorem consequitur, Divinarum ut puta perfectionum agnitionem & venerationem ad quam tota natura nos tamen trahat atque sollicitet. Rudiores homines in sua simplicitate majore percelluntur rerum divinarum voluptate, cum Creatoris opera considerant, quam



6  
quam qui doctiores videri volunt, quibus quoti-  
die plura documenta Divinae bonitatis, potentiae &  
sapientiae considerata offeruntur. Causa forte est,  
quod hi meditationes suas dirigant tantummodo ad  
nova indes mirabilia detegenda, eorumque ratio-  
nes explicandas, non alio fine, quam ut vel exple-  
ant curiositatem suam, vel scientiae gloriam conse-  
quantur, cum inaudita semper & curiosa, quae cu-  
riosis exponant referantque, habent in promptu. Hinc  
crebro fit, ut philosophiae tractatio non primario diri-  
gatur aut accommodetur ad virtutis & pietatis exerci-  
tium, sed potius ad subtiles, easdemque, si usum  
attenderimus, quem vitae humanae adferunt, steri-  
les saepe otiosasque speculationes.

§. V.

*De adminiculis studii Philosophici.*

**P**orro ut in Philosophia facilius detur progressus,  
prudencia requirit, ut adminicula hujus studii com-  
parandi ad manus sint. Primum igitur est, ut veri-  
tates ab aliis inventas studiose nobis familiares red-  
damus, quod fieri minime potest sine bonorum  
librorum supellectile & praceptoribus. Non no-  
strum hic est agere de prudentia in eligendis li-  
bris, neque de methodo eos legendi. Monemus  
tantummodo cavendum esse a desultoria, depro-  
perata & confusa lectione, quae animo indiscretos  
nos efficit, meditationem magis implicat quam  
explicat, & demum attentionem omnem turbat &  
interpellat. Inde definitiones & propositiones, de  
qua-

7  
quarum veritate convicti sumus, fideliter memo-  
riae mandandae; *tantum enim scimus quantum memo-  
ria tenemus.* Quin efficiendum quoque crebra re-  
petitione, ut definitiones & propositiones tam fa-  
miliares nobis fiant, ut sponte memoriam subeant,  
& demum usum suum exerant in novis veritati-  
bus inveniendis iisdemque demonstrandis. Libro-  
rum autem lectioni non ita inharendum, ut ex iis  
tantummodo nos discere posse existimemus, quae  
scitu sint necessaria. Freqventari debent scholae vi-  
rorum eruditissimorum, qui ingenui sunt in veri-  
tate communicanda eorumque consortium & con-  
silia quaerenda, quibus tamen omni sine auctori-  
tatis praedicio adherendum. Insigne prudentiae  
philosophicae exemplum ediderunt, qui sociera-  
tes litterarias instituerunt, quo invento sci-  
entiarum auctus & incrementa admodum mul-  
tum sunt procurata. Et certe, si quae unquam  
iusta sint speranda scientiarum augmenta ad illum  
modum, vires multorum, plurimae opes ad arduum  
iter illud exantlandum in medium conferri oportuit;  
unius enim hominis attentio, iudicium, opes, tem-  
pus & occasio non sufficiunt tanto labori. Ex  
eadem ratione utilissima censenda sunt commercia  
litteraria itemque discursus & familiaria colloquia  
virosum eruditorum inter se, cum nempe ingenue  
communicant suas observationes & iudicia, auxili-  
atricesque manus sibi invicem porrigunt.  
Neque negligenda sunt colloquia hominum

cu-



8  
cujuscumque status & conditionis, artificum;  
nautarum, eorumque, qui in rebus œconomicis ver-  
santur. Illis quippe interdum talia observare con-  
tingit, quæ alias nunquam philosopho in mentem  
venire poterint. Commendanda quoque sunt itine-  
ra non solum per exteras regiones, verum etiam per  
unius cujusque patriam. Qui denique in philoso-  
phia, præsertim naturali, cum fructu versari vult,  
oportet illum non leviter esse versatum in Mathesi  
& Chymia. comparabit quoque instrumenta neces-  
saria, ut observationes & experimenta instituere  
possit. Per omnes autem philosophiæ partes histo-  
riæ utilitas se diffundit, quippe non solummodo  
est prudentiæ philosophicæ mater, sed & cognitioni  
historicæ omnis cognitio philosophica tamquam fir-  
missimo fundamento unice est superstruenda: adeo-  
que apparet prudenti philosopho maxime necessari-  
am esse historiæ cognitionem.

§. VI.

*Generalia quædam circa principia & veritatum  
selectum monet.*

**A**ntequam ulterius progredimur ad exponendam  
prudentiam in inquirenda & tradenda veritate,  
quædam adhuc monenda sunt in antecessum. Pri-  
mo solliciti esse debemus de ipsis fontibus, ex quibus  
veritatem deducere volumus. Deprehendimus namque  
philosophiæ omni ævo maximum accessisse damnum  
ex eo, quod philosophaturi experientiam unicam  
ba-

9  
basin & fundamentum cognitionis philosophicæ de-  
seruerint, & ejus loco suas opiniones & hypothe-  
ses protruserint, vel omnes veritates a priori & per  
abstractiones suas detegere voluerint; cum com-  
modius multo ab ipsa experientia detegi possint.  
Unde philosophia multis fabulis pridem referta, &  
loco solidæ doctrinæ, hominum mentes opinionum  
vanitatibus expletæ fuerunt. Ut igitur cognitio  
nostra certa sit & utilis, experientia fundamenti  
loco ponenda, neque alia in medium adferenda, quam  
quæ ex ea rite derivari possunt. Culpandi deinde  
qui limites rationis & revelationis transponunt, aut  
saltem uno thalamo miscent divinam & humanam  
sapientiam, quippe quibus accidere crebro solet, ut  
in summa incertitudine & densissimis tenebris de-  
mum subsistant. Etenim sicut naturali lumini  
plus virtutis, quam vulgo creditur inest, & proin-  
de rationis nullo modo negligenda dictamina: ita  
in congruū esset etiam imperium rationis in reve-  
lationem moliri, id quod fieret, sicubi ex principiis  
rationis derivare aggredieretur quisquam abstrusas  
veritates revelatasque, quarum convictio & obli-  
gnatio devenit superne, & non impetratur ratioci-  
nando & speculando, sed *ἐκ ὑπάρχοντος* Joh. 3:  
33 7: 17. Quemadmodum ab altera parte iterum  
peccant, qui sacram scripturam male interpretantur  
& falsis interpretationibus suis utuntur ad impu-  
gnandum veritates rationales & physicas. Tan-  
dem in philosophiæ studio perpendendum, an res,  
B in



10  
in quarum investigatione versamur, sint utiles & scitu necessariae. Dolendum omni aeo philosophos multam operam impendisse in res obscuras & minus utiles; contra vero res utilissimas & proinde accuratiori cognitione dignissimas, turpiter fuisse neglectas. Quid multis? Philosophia, licet in novas subinde formas sit transfusa, semper tamen haec scoriae eidem adhæserunt. Propterea, cum *ars sit longa, vita brevis utiliaque primum querenda, jucunda deinceps*, selectum veritatum observare maximi est momenti.

§. VII.

*De prudentia in invenienda veritate a posteriori.*

**D**uplex omnino datur ad veritatem accessus. Vel enim sensu duce detegimus veritatem, vel concludendo ex cognitis veritatibus eandem assequimur. In cognitione per sensus, curandum, ut sensibus sua debita constet certitudo, ut nempe adsint omnia ad rite sentiendum requisita. Diutius quoque inhærendum considerationi rei, & si fieri potest, sensuum non uni simpliciter subjicienda, quo ipso clariorem forte consequi licebit ideam. In observationibus & experimentis instituendis causisque phaenomenorum assignandis probe considerandus est status rerum & minimae circumstantiae. inquirendum an quidpiam peregrini rebus inexistat, ex quo mutatio dependere posset. Observationes & experimenta prudenti dis-

11  
fidentia sunt excutienda & diversis temporibus, locis & circumstantiis iteranda. Vires causae & effectus conferendae & metiendae; Quae autem rarioribus sunt observationes & experimenta accurate debent describi, & cum aliis communicari. Maxime autem hic cavendum, ne iudicia nostra cum ipsis factis confundamus, & sic committamus horrendum illud vitium subreptionis. Prolixum nobis esset enumerare hic prudentiae regulas, quae observandae sunt circa aliorum narrationes, breviter illas complexus est Baumeisterus in Institution. Phil. Rat. Cap. IV.

§. VIII.

*De prudentia in invenienda veritate a priori.*

**I**n invenienda veritate a priori, prudenti oculo respiciendum ad principia quibus utimur, & deinde ad modum concludendi. Ut vero errores evitemus, regulae Logicae, quae docent qualia debeant esse principia & qualis modus demonstrandi, familiares nobis esse debent, eaque sedulo adplicandae. Ne quid de eo dicam, quod ad examen ratiocinatorum, propterea tempus iustum atque necessarium fuerit adhibendum. Veritatem autem a priori invenire res est difficillima, requiritur namque ad illam intellectus in meditando exercitatus, qui cognitas veritates novit rite subordinare & connectere, requiruntur artificia heuristica, & notitia principiorum plurimorum: quae principia adeo familiaria esse debent, ut sponte memoriam subeant



12  
& præmissas syllogismorum offerant: Quæ si abfuerint ab inventore, veritatem a priori detegere non valet. Constat experientia, quod, qui in una scientiarum parte multas invenerunt veritates, in alia iterum, irrito successu, operam impenderint, & graves lapsus commiserint, propterea quod principia ejus studii ipsis non satis familiaria fuerint. Svadet igitur prudentia, ne inventoris laborem aggrediamur nisi certi fuerimus nos gaudere requisitis inventoris; præcipue cognitione principiorum necessariorum, vel ad minimum, nisi scierimus nos defectum illum facile supplere posse.

§. IX.

*De prudentia in dijudicanda veritate.*

**I**ncumbit philosopho, nisi lectarium agere velit, examinare aliorum sententias antequam eas adoptat. In quo opere justo plus seduli sunt non nulli; multi quippe de rebus levissimis gravia movent certamina, non adeo solliciti de augmentis scientiarum, quam potius ut aliorum clade, suam honorem & opes augeant. Sed veri nominis philosopho res tantummodo est de sola veritate utili & necessaria, cujus patrocinium suscipit, exploratis primum viribus suis. Multi quippe pruritu altercandi ejusmodi rerum dijudicationem aggrediuntur, quæ captum eorum superant, quo ipso res magis confundunt quam illustrent, animumque præbent multis controversiis & scriptis eristicis, quæ in re prostant odiosa omnium temporum.

porum exempla. Inconsultum quoque dijudicare & impugnare aliorum scripta, quæ nondum legere nobismet ipsis licuit; Cum hac ratione multos frustra videmus in pugnam descendisse. Quantum fieri potest sententia alterius candide explicanda, & si sufficienter non fuerit probata, prematurque difficultatibus, non statim tamquam erronea rejicienda & deridenda. Expectandum donec tempus veritatem in lucem protrahet; *opinionum quippe commenta delet dies, naturæ judicia confirmat.* Cicero de Nat. Deor. Lib. 2. Cavendum quam maxime a præconcepis opinionibus, studio antiquitatis & novitatis præpostero, partiumque studio. Nec unquam nisi cum modestia tractandus est auctor, de cujus sententia judicium est ferendum, neque eidem consequentiæ erroneæ & ridiculæ imputandæ & obtrudendæ. Consultum quoque est reticere interdum contrariæ sententiæ auctorem, cum sententia ejus est refutanda.

§. X.

*De prudentia in communicanda veritate.*

**Q**uemadmodum unumquemque oportet in suo statu & conditione, quantum potest, communi utilitati interservire, ita quoque Philosophus, quæ scientiis incumbit, easdem ad utilitatem communem conferre imprimis sibi propositum habet. Eius finis ut rite compos evadat, neque sibi soli sapere aliis existimetur, quæ ipse invenerit aut addiderit, cum aliis communicabit. in quo tamen habebit rationem personæ, qui veritatem commu-



nicat & selectum veritatum prius instituet, attemperabitque se cuiusque captui, ætati, statui & conditioni. item temporis habenda est ratio, & modi quo veritas optime insinuari potest animis auditorum. Perspicuitati & soliditati quam maxime studebit philosophus. Verba igitur obscura & indeterminati significatus explicanda, & constans significatus eius vindicandus. Non tamen convenit luxuriare definitionibus, quod tedium adfert & interdum magis rem obscurat, quam illustrat. Neque negligenda est orationis elegantia, quæ perspicuitati & brevitati non adversatur, studendumque ut dicendi genus sit sive, promptum & expeditum. Evitanda quoque sunt verba oblique pungentia, quia animum turbant; abstinendum non minus a iactatione & meritorum in rem litterarum recitatione propriorum, quæ quorundam tædiola est consuetudo. Soliditati, uti dixi, maximo opere studendum, at simul evitandus est prædantis demonstrationis, quando sine causa proluxæ demonstrationes adhibentur, neque consultum ubique uti stylo mathematico, cum sine eo quoque evidentia rerum obtineri possit.

§. XI.

*De prudentia philosophantium, quoad mores.*

**R**estat ut pauca tantum de philosophantium, quod ad mores, prudentia addamus. Philosophi qui majore veritatum cognitione gaudent quam alii, deberent quoque antecellere alios virtute, neque

do.

doctrinam suam contrariis factis contaminare & aliorum ludibrio exponere, quod deinde non potest non in studii philosophici damnum vergere. Docet usus ipse rerum, quod philosophi, Principum aliorumque in se & litteras excitarint odium, vernaculis & ad ipsos solum spectantibus vitiis, utpote morositate, rixis, decori neglectu, iactantia, vanitate studiorum & loquacitate: præcipue verò cum ejus modi res & facta rigide & superbe taxare, imo de iisdem præcipere ausi fuerint, in quibus nulla ipsis experientia nullus usus sed, tantum abstractæ & perverse applicatæ ideæ argumento sunt. Oportet philosophum ab ejusmodi vitiis eo diligentius sibi cavere, quanto facilius ea cum literarum studiis se insinuant. Moderandus insuper studiorum sive librorum amor, ut non plane negligantur res œconomicæ, debita corporis cura & exercitatio, quæ sanitatem conservat; comparanda quoque necessaria cognitio rerum aliarum & artium, quibus opus est in republica, cum non scholæ sed imprimis vitæ dum vita suppetit, homini sit discendum.

